Fragmentarium

sacerdotii debuissemus ministerium remeare. Quis semel a nobis saepius et commonitus eadem arguen
te molestia nec scriptis nobis supplicatione porrecta noscit intimare nullatenus se ad regim
eiusdem ecclesiae et suscepti officium impediente molestia adsurgere nullatenus posse. Qua pro
re ei desperatione conpulsi necessarium duximus de ordinatione uestrae ecclesiae cogitare.
Hortamur ergo ut uno animo eodemque consensu remoto strepitu talem uobis praeficiendum eliga
tis auxiliante domino sacerdotem qui et a uenerandis canonibus nullatenus respuatur. Et
tanto ministerio dignus ualeat repperiri. Qui dum fuerit postulatus cum sollemnitate de
creti omnium subscriptionibus roborati et uisitatoris pagina prosequente ad nos ueniat ordi
nandus. Quatenus ecclesia uestra disponente domino proprium habere ualeat sacerdotem. Quidum
autem eum quem unanimitas uestra elegerit, ad fratrem et coepiscopum nostrum marinianum rauennensem sine
dilatione aliqua perducatis. Ut ab eo subtiliter inquisitus atque perspectus, ipsius quoque ad
nos ueniens testimonia roboretur. GR SEBASTIANO EPO. LXXVIIII

Pastoralis nos cura constringit ecclesiis sacerdotis moderamine destitutis sollicita consideratione concurrere. Et ideo quia ariminensis ecclesia cui fraternitas uestra uisitationis inpen
dit officium, dum sacerdotis proprii corporis quod nosti impediente molestia pastorali est regimine
destituta. Clerum autem eius pro parte eundem episcopum fecimus ammonere, ut si ex eadem mo
lestia se melioratum esse sentiret, ad suscepti sacerdotii debuisset ministerium remea
re. Qui semel a nobis saepius et commonitus, eadem urguente molestia nec scriptis nobis
supplicatione porrecta noscitur intimasse nullatenus se ad regimen eiusdem ecclesiae uel suscepti
officium impediente molestia adsurgere nullatenus posse. Qua pro re nos eius desperatione
compulsi necessarium duximus de ordinatione nostra eiusdem ecclesiae cogitare. Hortamur er
go ut clerum plebemque eiusdem ecclesiae sollicita debeatis ammonitione compellere, ut sibi
cum dei auxilio talem praeficiendum eligant sacerdotem. Qui et aptus tanto ministerio
ualeat inueniri. Et a uenerandis canonibus nullo modo respuatur. Qui dum fuerit postula
tus cum sollemnitate decreti omnium subscriptionibus roboratur, atque uestrae quoque testimo
nio litterarum huc sacrandus occurrat. Quatenus ecclesia ipsa proprium auxiliante domino ha
bere ualeat sacerdotem. GR CALLINICO EXARCO ITALIAE N

License: cc-by-nc – Bern, Burgerbibliothek, Cod. A 94.5, 6r – Gregorius Magnus, Registrum epistolarum
(https://fragmentarium.ms/view/page/F-poc1/5152/49336)